

tia, escharotica & caustica. Sed sepositis reliquis hāc vice solummodo vesicantia digna judicavimus, quæ pro LOCO in FACULTATE MEDICA impetratō, brevibus proponamus, & summō favente Archiatrō, placidē ventilemus.

CAPUT I definitionem nominalem explanat.

VESICANTIA nomen ab effectu sortita sunt, cūm vesicas vel pustulas parvas, veluti bullas, supra cutem eminentes excitent.

Διαχειρίδης ενδέργα, per cantharides excoriantia appellat Dioscorides lib. 3. cap. 63. & urendi potestate aliquam partem auferrantia, δέ το τὸ εκδέργεσθαι, quod in animalibus est excoriare; in arborebus autem excorticare.

Per *sinapisum* exprimit *Henrnius method. ad praxin lib. 1. p. 139.* & *lib. 3. cap. 11.* Alii *phœnigmum* i. e. ruborem in parte per medicamenta excitatum, adpellant. Sic *Nicol. Piso de cognosc. & curand. morb. lib. 1. cap. 11.* phœnigmus, *ait*, rubificat, & in parte finitur, dum ampullæ tumeant; & *Hollerius de mat. chirurg. lib. 3. c. 5.* phœnigmum rubore factō etiam vesicas movere & exulcerare scribit. *Verum*, nomina hæc perperām confundi, jam patebit; siquidem vesicatoria terminos circa magis & minus distinctos habere, idè & illa latitudinem quandam continere, constat. Etenim alia debiliora sunt, alia fortiora. Nonnulla cuti superimposita, eam tantum in ruborem & tumorem attollunt, & calore, pruritu morisque suō afficiunt, & incedunt quidem statim, sed ita calida non sunt, ut eandem urant. Eapropter *rubificantia* vocantur, & inter terminos attractoriae facultatis continentur, ut sunt *dropax, sinapis-mus &c.* *Alia* præterquam quod rubificant, tandem etiam urunt & vesicam excitant. *Alia* vesicam excitant per se, sed longiori mora & majori quantitate cuti superimposita, eandem perrumpunt & exulcerant. Hæc ad infimam causticorum classem pertingunt, & propriæ vesicantia dicuntur, juxta *Ficinum de cauteriis. lib. 2. cap. 4.*

Ratam